DEO. OPT. MAX. PRÆSIDE. SUPREMO

DISSERTATIO JVRIDICA
DE
EXTREMA. PROVOCATIONE
AD
CONSTANTISS. ATQ. INNOCENTISSIMUM
TRIBVNAL.
JESV. CHRISTI
IN
CAVSIS. CIVILIBVS. ATQ. CRIMINALIBVS

Von der

Fürladung vor Gottes Gericht
in Bürger- und Peinlichen Sachen/

QVAM
EX. PRINCIPIIS. NATVRALIBVS. ATQ. CIVILIBVS
PVBLICO. ERVDITORVM. ORBI. DISCVTIEN-
DAM. PROPONVNT

ADAMVS. CORTREJVS
J. V. D.
PRÆSES
ET
Johann. Georg. Krull. MAGDEB.
RESPONDENS.

AD. DIEM. MARTII
A. O. R. cIↃ IↃc LXV.

JENÆ,
LITERIS JOHANNIS NISI, 1669.

ADSIT. NOBIS. GRATIA. DEI.

Cap. I.

Autoritatem illorum, qui pro tribunali judicant, ex principiis juris naturæ roborat, eamque ab inſtituto divino pendere oſtendit.

HUmanum quid in terris eſſe poteſtatem civilem, inque ſolo populi conſtituentis arbitrio ac ſuffragio radices ſuas agere, tùm ſuperioribus ſeculis quàm noſtrâ ætate quamplurimis judicatum eſt, in quibus, è cæteris principatum appetunt Stephan. Jun. Brutus in *Vindic. contra tyrann. & Defenſor. parricid. Anglican. quæſt. 1. c. 2.* Peregrin. Roſſæus *libr. de juſtit. in princip. poteſtat. cap. inprim. 2.* Georg. Buchanan. *Dialog. de Jur. regn. apud Scot.* Franciſc. Hottoman. *in Francogall.* & *libr. de jur. regn. Gall.* Bucher. *in lib. de Abdicat. Henric. III.* Bellarmin. *libr. de Laic. l. 3. c. 8.* & *adverſ. Barclaj. c. 12.* Georg. Obrecht. *Diſp. de Bell. à theſ. 146. usque ad theſ. 199.* Althuſ. *Politicor. c. 14. & 15.* Hœnon. *Diſp. Politic. 2. & 9.* Lambert. Danæus *6. Politic. Chriſtian. c. 3.* Caſman. *Politic. 10.* Marc. Zuer. Boxhorn. *Inſtitut. Politicar. c. 5.* & noviſs. *Apologet. pro popul. Anglican. cap. inprim. 6.* Miltonius impuriſſimus, ita n. jure merito audit, Vir magno Dn. Joh. Strauchio, *Doctori meo laudatiſſimo, cui me totum deberi non diffiteor,* 1

 Diſ-

2 Diſſertation. de *Statut. à ſumm. Princip.* §. 5. Quorum opi-
nionem Pontifex Zacharias inculcat Francis, qvum de
Childerici abdicatione contulerent ap. Aventin. *l.* [illegible] *An-
nal. Princeps,* inquit, *populo, cujus beneficio regnum poſſidet,
obnoxius eſt, quæcunq; enim habet, potentiam, honorem, di-
vitias, gloriam, dignitatem à populo accipit, plebi eadem ac-
cepta refert. Regem plebs conſtituit, eundem & deſtituere
3 poteſt.* Fortean non ſine ratione. Qvum enim Jus natu-
ræ ac divinum ſignatè non determinet, quisnam alteri
imperare, aut quis parere debeat, nec menſuram pœnæ
inter hominis conſtituat, pauciſſimi vero ſolâ erga De-
um reverentiâ adduci poſſint, ut naturæ convenienter a-
gant, quippe quòd vindictam divinam occultis plerumq;
viis ſeſe explicantem ubiq; animadvertere nequeant, hinc
ſocietati inter homines tranquillè conſervandæ ſola lex
naturæ præeſſe non poterat, ſed pacto inſuper humano
exprimere, aut ex negotii naturâ tacitè promittere ne-
ceſſe erat illis, qui ſe cœtui alicui aggregaverant, quisnam
in cæteros imperium obtinere, illosque, quibus imbecilli-
or ad ratiocinandum vis animi erat, certis agendi regulis
addictiùs regere, & quos in diverſa impetus trahe[illegible]e, vide-
rent, fine ac modo pœnarum publico bono congruente,
coërcere debeant, ceu hanc imperii neceſſitatem egregiè
exprimit Theodoretus *Oration. 7. de Prudent. Tom. 4. pag.
m. 258.* ubi: *Quis enim homines injurios ferret, niſi erum-
pentem cupiditatis eorum flammã legum metus reprimeret?
More piſcium enim, qui majores ſunt devorarent minores,
niſi lex ſtrictum gladium, ardentem rogum, &, ſi quæ alia co-
ercendi ſceleribus, qui Rempublicam gerunt, excogitârunt,
oſtentaret. Quòd ſi enim etiam ubi leges minantur, ubi ma-
giſtratus puniunt, tamẽ quidam omni beſtiâ ſæviorem in pro-*
ximos

ximos animum gerunt, &, more ſcorpionum, irruunt, more
ſerpentum mordent, canum more rabiem exercent, denique
adverſus conſortes ejusdem generis rugiunt, ut leones in di-
verſi generis animalia, quid illi non facerent, ſi leges non eſ-
ſent, aut magiſtratus non punirent? Aſt non ideò primæ- 4
va magiſtratus ratio à mero facto humano deſcendit, ſed
illud modo ad arbitrium hominum pertinet, an poteſta-
tem illam uni delegare, an pluribus, &, quibus ſeorſim
modis imperium inſtruere velint. Nam & omninò firma
ſtat illorum opinio recta, qui Deum non permiſiſſe ſed
inſtituiſſe ſocietatem politicam & poteſtatem, adſerunt.
Voluit enim *naturæ autor,* inquit pulcherrimè incompa-
rabilis Hugo Grot. vir tranquillitatis publicæ ſtudioſiſ-
ſimus, in *Prolegom. pag. 4.* incomparabilis atque aurei
Operis *de J. B. A. P. nos ſingulos & infirmos eſſe, & multa-*
rum rerum ad vitam ducendam egentes, quò magis ad colen-
dam ſocietatem raperemur. Itaque præter naturalem il- 5
lam, alia poteſtatis origo eſt, veniens ex liberâ voluntate
Dei, cujus imperium, qvum totum contineat mundum,
tum modis aliis, tum præcipuè ordine parendi atque im-
perandi, cui ſubjici ſe debere irrefragibiliter ſtatuunt,
quicunque legem Dei de ſocietate colendâ agnoſcunt.
Quò ergò ſocietas civilis finem propoſitum ritè adſequa- 6
tur, Deus in eâ conſtituit aliquod ſummum, à nemine
mortalium dependens, neminis arbitrio ſubjectum, Deo
uni ut ſubditum ita & ſecundum atque vicarium. *Qui-*
cunq; igitur *ſocietatem conſtituit, ille & ordinem* ſecundùm
commune, cauſa cauſæ eſt etiam cauſa cauſati. *Atqui Deus*
ſocietatem conſtituit, E. r. & ordinem. In quam ſententiam
eleganter admodum deſcendit Gvilielm. Ameſ. elegant.
Tr. de Conſcient. & ejus Jur. l. 5. cap. 25. n. 2, & 3. pag. m. 331.

Poteſtas hæc (inter magiſtratus & ſubditos) *eſt maxima inter humanas, quia reliquis omnibus ſupereminet eaq; regit Rom. 13. 12. Eſt à Deo inſtituta,* pergit, *in commun, ut ſc. ſint magiſtratus vel publici gubernatores Rom. 13. 12. quamvis in ſpecie, quoad hanc vel illam formam, ſi creatura humana 1. Petr. 2. 13.* Jung. omninò Marc. Anton. de Domin. *lib. 6. de Republ. Eccleſ. cap. 2. pag. 2031.* & Johan. Gerhard. p. m. Theologorum Proteſtantium decus æternum *Loc. Theologic. de Magiſtrat. Politic. cap. 3. ſection. prior. à num. 33. usq; ad num. 48. Tom. 6. pag. edit. Francoſ. & Hamburgenſ. 242. & ſeqq.* Diſſent. præter ſupra allegat. Johan. Bodin. *lib. 1.*
7 *de Repub. cap. 6.* Qvum ergò opifici noſtro, cui nos noſtraque omnia debemus, ſubjici nos debere intellectus noſter, ſine contradictione, indicet, ſequitur jam ut illorum, quos in ordine imperante conſtituit, eminentiam, poteſtatem atque autoritatem agnoſcere, & actus noſtros ad voluntatem illorum naturali juri aut divinis præceptis non contrariam. vid. Grot. *1. de J.B. ac P. cap. 4. num. 1.* ſine reluctatione componere debeamus. Quamcunque igitur cum ſubditis contraxerit obligationem ſumma poteſtas, ea duntaxat imperfecta erit, ita quidem ut, ſi contra agat, ac fidem frangat, reatum in conſcientiâ committat, inque judicio divino rea ſit, ſubditi autem nec in foro humano actionem hoc nomine contra eam intendere, nec vim, ob legem naturæ violatam, ipſi adferre poſſint. Vid. eleganter Dn. Johan. Heinric. Bœclerum, Virum de Prudentiâ Civili omnique ſolidioris doctrinæ genere meritiſſimum *commentat. ad c. 3. §. 7. libr. 1. Hugon. Grot. de J.B. ac P. pag. m. 226.* Jung. omninò latè atque eleganter hæc deducentem Dn. D. Johan. Gerhardum, p. m.
8 nuper laudat. *d. l. pag. 487.* Qvum verò per unum ho-

minem

minem omnia, quæ in ſocietate civili contingunt, expediri nequeant, idcirco poteſtati ſummæ facultas eſt, certorum negotiorum curam atque exeqvutionem aliis imponere, qui tamen autoritatem ſuam omnem ab illâ mutuant. Equidem hæc negotiorum obeundorum diſpen- 9
ſatio, ſecundùm triplicem hominis prudentiam, legiſlatoriam, conſultativam atque judiciariam, de qua vid. Ariſtotel. *6. Ethicor. 5. & 8. & 7. Pol. 1. & 2.* à ſumma poteſtate fieri neceſſe eſt, ita ut in Republ. ſint, (1.) qui legum ferendarum rationem ineant. (2.) qui de rebus ad civitatem pertinentibus deliberent. (3.) Qui judicent tàm de cauſis & negotiis privatis, commutationibus ſcil. ex quibus alter alteri obligatur, vel ob quas alter cum altero diſceptare valeat, quàm de criminibus, quæ committuntur, vel in ſtatum Reipublicæ, vel adverſus honeſtatem pûblicam, vel in damnum privatorum, quod tamen triplex munus hodiè JCtis unicè non ſine ratione demandati, lubens indulget Vir ſummus atque conſummatus Dn. Hermann. Conring. *Libr. unic. de prudent. civil. cap. 3.*
pag. 43. & ſeqq. Etiamſi ergò horum poteſtas à Deo non 10
principaliter, ſed ſecundariò, mediante ſummæ poteſtatis delegatione, dependeat, nihilò tamen minus autoritas illorum æquè debet eſſe ſancta & inviolabilis, ac ſummæ poteſtatis ipſius, argumento ejus quod tradit JCtus Paulus ex libr. 14. ad Plautium *in l. qui in jus 177. π. de R. J.* Nam & horum dignitas tot legibus & pœnis defenditur adeò, ut miles qui caſtigare volenti ſe centurioni reſtiterit, ſi vitem tenuerit, militiam mutet, ſi ex induſtriâ fregerit, vel manum centurioni intulerit, capite puniatur.
Grot. *cap. ſupr. citat. 4. num. 2. in fin.* Conſequitur ergò 11
tàm ex ipſâ rei naturâ, quàm ex præcepto divino, apud

ſolum

ſolumSuperiorem reſidere jus vindicandi injurias, nec
ullum jus privatis in ſocietatem civilem coaleſcentibus
reliqvum eſſe, ne imperium ad *ἀναρχίαν* divertatur. vid.
Gregor. de Valent. *comm. Theologic. Tom. 3. Diſp. 5. Quæſt 8.
punct. 3.* Paul. Layman. *Theol. moral. L. 5. Tr. 3. Diſp. 6. num.
1.* Anton. Maſ. Galles *Tr. contr. uſum. duell. c. 2. num. 10. &
ſeq.* Fernand. Vaſq. *controverſ. illuſtr. p. 1. 2. c. 12. n. 2.* Summ.
Sylveſtr. *tit. de homicid. part. 1. §. 2. verſicul. quantum.* Lu-
dov. Molin. *Tom. 1. de J. & J. Tr. 12. Diſp. 22. & tom. 4. Tr. 3.
Diſp. 6. num. 1. verſ. in pœnam.* Dom. Soto. *de J. & J. L. 5.*
12 *qu. 1. art. 3.* Quid verò? Si quid imperent naturali juri aut
moribus divinis contrarium? Non erit faciendum. Ne-
mo enim tenetur obedire poteſtati, niſi in quibus ſupre-
mus conſtituens eum ſubjecit. Atqui ad illicita facien-
da ſupremus conſtituens ſubditos non ſubjecit. Ergò nec
in præceptis illicitis obedire tenentur. vid. eleganter Gvi-
lielm. Ameſ. *Tr. de conſcient. ſupr. laudat. cap. 20. Quæſt. 2.
num. 7. p. m. 302.* Sin ex alia causâ aliavè injuria nobis in-
feratur eam tolerandam potiùs quàm vi reſiſtendum eſſe
conſulit Grot. *citat. cap. 4. num. 2.* propterea quod omnis
civitas ad tuendam tranquillitatem inſtituta jus reſiſten-
di promiſcuum, publicæ pacis & ordinis causâ, prohibu-
iſſe cenſeatur. Hoc enim ſi maneat non jam civitas, ſed
diſſociata multitudo eſſet. vid. latè Franciſc. Jul. Chop.
Philoſoph. Jur. ver. lib. 2. cap. 9. num. inprimis 20. & 21. Id
quod inprimis exactè in tabulâ veluti depingit Colores
apud Plutarch. *lib. 1. adverſus Colot. pag. m. 1242. Qui leges
tulerunt,* ait, *& jura regendi & parendi ordine civitates con-
ſtituerunt, illi vitam in tuto & tranquillo locârunt, & per-
turbationibus liberârunt. Hæc verò ſi quis tollat ferarum
vitam viveremus, & quisque obvium quemque tantùm non*

devo-

devoraret. Qvum itaq; ſubditorum non ſit, jugum à Deo impoſitum excutere, nec contra Magiſtratum quamvis injuſtum inſurgere, adeo ut, præter fugam, nulla ipſis concedatur defenſio, ceu loqui amat, quamvis reſtrictè nimis vid. *cap. 4.* Autor Reminiſcentiar. Politicar. *ad Hiſtor. de Miniſter. verſutiſſimi Cardinalis Richelii libr. 1. p. m. edition. Herbipolit. 75.* Quid ſolatio erit reliqvum miſeris, qui, duriſſimâ judicis ſententiâ, innocentes premuntur, bonis atque fortunis exuuntur? Nil niſi ut ad judicium divinum divertantur, ibique de iniquitate conquerantur. An ergò licebit privatis, quibus nullum adverſus opprimentium potentiam remedium ſupereſt, provocare illuc, & vel pari adverſæ, vel judici, vel utrique ſimul certum comparitionis terminum ponere, quo iniquitatis ſuæ rationem reddere, & juſtiſſimam ſententiam experiri debeant, quod nonnulli divinatoriè ad vallem Joſaphat appellare dicunt, ceu, poſt laudatiſſimum Dn. Johan. Gerhard. p. m. *Tom. VIII. Loc. de extrem. judic. cap. 7. §. 79. pag. 61.* & D. Georg Calixt. *p. m. lib. de ſuprem. judic. pag. 101.* & D. Himmel. *p. m. in Joëlem pag. 302.* pluribus oſtendit Plurimùm Reverend. atque Excellentiſs. Dn. D. Johann. Erneſt Gerhard. *magni parentis ingenuus æmulus, & Juventuti Academicæ quàm maximè beneficus, Hoſpes quondam atq; Patronus meus ætatem deVenerandus* Diſſertat. Theologic. de Appellation. ad ſupr. judic. *theſ. 5. pag. 7. & 8.* Subſiſto.

Cap. II.

Diſqvirit ex rationibus dubitandi.

An, ſi quis à Judice vel Magiſtratu in cauſis civilibus Bürgerlichen Sachen *Jus obtinere nequeat,*

*aut alioquin opibus atq; fortunis injuſtè exuatur,
partem adverſam vel judicem aut utrumq;, ad ſu-
premi Numinis judicium* für das Jüngſte Ge-
richt oder den Richterſtuel JEſu Criſti/ *ſtato
comparendi die, licitè vocare poſſit?*

1 ITa ſanè videtur. Et partem quidem adverſam ad judi-
cem ſupremum citare vel maximè licitum eſſe appa-
ret inde,quia intentio provocantis fertur principaliter in
aliquod bonum, emendationem ſcilicet peccantis vel
ſaltem cohibitionem ejus,& quietem aliorum. Hâc enim
ratione ſi fiat, non intentione nocendi, ſed intentione
impedimenta removendi, omninò licita eſſe cenſetur
ejusmodi provocatio. Quò pertinent verba elegantia Jo-
han. Viguerii Granatenſ. *Inſtitut. Theolog. Chriſtian. c. 5.
§. 11. Si intentio vindicantis feratur principaliter in aliquod
bonum, ad quod pervenitur per pœnam peccantis, puta ad e-
mendationem peccatorum, vel ſaltem ad cohibitionem ejus,
& quietem aliorum & juſtitiæ conſervationem, & Dei hono-
rem, eſt vindicta licita, ſervatis circumſtantiis aliis, ſicut vim
vi repellere, cum moderamine inculpatæ tutelæ, ut aggreſſor
propulſetur. Hoc enim naturale eſt & irrationalibus conve-
nit: Data enim eſt vis irraſcibilis ad propulſandum & repel-
lendum nocumenta. In hominibus autem, ſi non fiat intentio-
ne nocendi, ſed intentione removendi impedimenta duntа-
2 xat eſt bonum.* Provocationem verò ejusmodi in ſe ſpe-
ctatam pro ſcopo principali habere emendationem pec-
cantis atque cohibitionem ejus, negari vix poterit. Ideò
enim provocatur, ideò ſupremus judex imploratur, ut
ipſe velit ſuper injuſtitiâ hâc cognoſcere, adverſæ partis
conatus injurios cohibere, & peccata ejus corrigere atq;

emen-

emendare. Quod verò in nonnullis animus ulciſcendi concurrat, id provocationi ejusmodi accidit, perinde ut piis ſeriò oraturis, & peccata ſua deprecaturis alienæ cogitationes incidunt. Hinc ratio colligendi: *Quodcunq; fertur in aliquid bonum, emendationem ſc. peccantis, ejusq; cohibitionem & quietem aliorum, illud in ſe libitum eſt atq; tolerandum; Provocare partem adverſam ad ſupremum judicium Dei fertur principaliter in aliquod bonum: Ergò eſt in ſe licitum, atq; tolerandum.* Et major & minor ex antecedentibus conſtant. Hactenus ergò provocatio adverſæ partis fundamento ſuo niti videtur, altioris tamen 5
indaginis & profundioris disquiſitionis erit, demonſtrare, quod judicem quoque illuc vocare liceat. Sed nec hîc ratio naturalis deficere videtur. Nam (1.) in præcepto Noachidarum ſeu naturali de judiciis hoc continetur, ut, qui Respublicas conſtituerent, Tribunalia, Conſiſtoria ac Judicii domos ordinarent, quibus parere quidem debeant illi, qui Jurisdictionis præſtitutæ modis ſubeſſent, hâc tamen conditione, ut de divino etiam judicio præmioq; in eo expectando, perſuaſionem univerſis hominibus (& ſic etiam judiciis) neceſſariam eſſe traderent, & ſic provocationem ad tribunal illud ſupremum ipſis, remedii loco, unicè relictam eſſe cenſerent, quod eleganter inſinuat Johan Selden. elegantiſſ. oper. *d. J. N. juxt. diſciplin. Hebræor. lib. 7. cap. 4. p. m. 804. edit. Londin. 1640.* ubi poſteaquam oſtenderat Talmudicis, nomine judiciorum, venire tam judicia divina, ſeu Tribunalis cœleſtis, quàm humana, atque humanorum nomine contineri, tàm Decreta ex poteſtate deliberativâ, atque conſtitutivâ nata, quàm ex ea quæ judiciaria dici ſolet & Deciſiva, tandem ſubjicit; *In præcepto Noachidarum, ſeu naturali de ju-*

*diciis hoc tantùm contineri volunt, qui ſocietates publicas
inirent, ſeu Reſpub. qualescunq; conſtituerent, rebusq; præ-
eſſent, Tribunalia, Conſiſtoria, ſeu domos judicii ordinarent,
quibus tum ea, quæ pro vario locorum, temporum, perſonarũ
diſcrimine, Juris Noachidarum, capitum obſervationi eſſent
neceſſaria ſeu conducibilia, ſancirentur, ſuperinducerenturq;
tum judicia de ipſis juris naturalis capitibus, ſimul & de ſan-
citis ejusmodi in litium & actionum deciſione exercerentur,
& demũ ut ſancitis & deciſionibus parerent illi, qui, pro mul-
tiplici imperii diverſitate, ac variantibus Jdictionis præſtitu-
ta modis ſubeſſent, pœnisq; coërcerentur contumaces & re-
belles. Ita tamen ut de divino etiam judicio præmio ac pœnâ
in eo expectando, ſeu, de eo, quod eſt Deum remuneratorem
eſſe, perſuaſionem univerſis hominibus neceſſariam eſſe,
quantum video, interea exiſtimarent Hebræi.* Hinc ratio
colligendi. *Quæcunq; poteſtas cum reſervatione divini ju-
dicii conſtituta eſt, ab ejus ſententiâ iniquâ ad tribunal di-
vinum licitè provocari poteſt; Poteſtas judicialis, cum reſer-
vatione divini judicii, conſtituta eſt.* Ergò. *Ab ejus ſenten-
tiâ iniquâ ad tribunal divinum licitè provocari poteſt.* Ma-
joris conſequentia in propatulo eſt. Minor ex verbis Sel-
deni antea adductis hâc ratione probatur: *Cujuscunq; con-
ſtitutioni perſuaſio divini judicii ac pœnæ iniquitatis expe-
ctandæ neceſſario adjungitur, illud cum reſervatione divini
judicii conſtituitur. Atqui judiciorum humanorum conſtitu-
tioni perſuaſio pœnæ in judicio divino expectandæ neceſſariò
adjungitur.* Ergò. *Judicia humana cum reſervatione judi-
4 cii divini conſtituta ſunt.* (3.) Poteſtas judicium dependet
a voluntate Dei, cujus miniſter eſt omnis magiſtratus,
quod cap. 1. latiſſimè perſeqvutus ſum. Omne ergo judi-
cium humanum cenſetur eſſe inferius reſp. divini. Qvum

ergò in humanis licitum ſit provocare à judice inferiori ad ſuperiorem. *l. fi. al. §. 1. d. appell. recip. c. quia nos 12. d. app. 2. c.* Vide Matth. Stephan. *de Juriſdiction. lib. 2. part. 1. cap. 1. Membr. 1. num. 184. & ſeqq.* Quidni licebit provocare ad judicem omnium ſupremum? Hinc ratiocinatio: *Cujus. unq. poteſtas dependet à judicio divino, ab illius ſententia provocare licet ad judicem divinum. Atqui poteſtas judicis humani dependet à judice divino.* Ergò. *ab illius ſententià provocare licet ad judicem divinum.* Majoris conſequentia patet argumento ejus quod tradit JC. Ulpian. ex lib. 1. Appell *in l. appellandi uſus. 1. §. ſi quis. 3. ff. de appellat.* & Pontificis *in c. 66. x. eod.* ut & *in c. Romana. d. appellat. in 6.* Minoris veritas ex antea dictis ſatis ſibi conſtat. (4.) Quod in ordine ſub alio conſtituitur 5
ita, ut ab eo modum vim atque decus accipiat, illud repugnare iſti ſupremo, unde ordinem ſuum accepit, non poteſt, aut, ſi repugnat, id eſt, ordinis ſui limites egreditur, autoritatem ſuam & Jus ſuum, quod non niſi ordine inſtituto & per eum jus eſt, amittit. Judicem ergò humanum, qui à ſupremo judice omne ſuum decus atque vim accipit, quum ſubditos per ſententias ac judicia iniqua deturbando, fortunasq; eorum evertendo, ordinis ſui limites egrediatur, autoritatem ſuam & Jus ſuum omne perdere neceſſe eſt. Cui conſequens eſt, ut ſubditi, in ejusmodi diſcrimine certiſſimo atq; graviſſimo, de jure naturæ, poteſtati ſuperiori multò magis judici reſiſtere poſſint. Ita enim Grot. *laudat. libr. 1. cap. 4. §. 7. Gravior eſt illa quæſtio; An lex de non reſiſtendo nos obliget in graviſſimo & certiſſimo diſcrimine. Nam leges etiam Dei, quanquam generaliter prolatæ, tacitam habent exceptionem ſummæ neceſſitatis.* Et, paucis interjectis, *Hæc autem lex, de*

quà agimus, pendere videtur à voluntate illorum, qui ſe primùm in ſocietatem civilem conſociant, à quibus jus porrò ad imperantes manat. Hi verò ſi interrogarentur, an vellent omnibus hoc onus imponere, ut mori præoptent, quàm ullo caſu vim ſuperiorum armis arcere, neſcio an velle ſe ſine reſponſuri, niſi fortè cum hoc additamento, ſi reſiſti nequeat, niſi cum maxima Reipublicæ perturbatione, aut exitio plurimorum innocentum. Quod enim tali circumſtantiâ charitas commendaret, id in legem quoq; humanam deduci poſſe non dubito. Cujus ſententiam confirmat Proteſtantium reſponſum in bello Schmalcaldico, quod exhibet Schleidan. *d. ſtat. religion. pag. m. 542. Quod ſi pactis ſtetiſſet* (Cæſar) *atque decretis, nos etiam noſtrum eramus officium facturi, ſed quoniam ea violavit, & verò præcipua Deo debetur obedientia, ſibi ipſi culpam tribuat. Etenim quia religioni, libertati atq; fortunis noſtris molitur exitium, cauſam præbet cur ipſum impugnemus bonâ conſcientiâ. Quum enim in eum caſum res devenerit, licebit reſiſtere, ſicut & ſacris & prophanis Hiſtoriis demonſtrari poſſet. Nam injuſta vis minimè Deum autorem habet, nec aliâ ratione ſumus ei devincti, quàm ſi conditiones impleat Cæſar.* Jung. litteras Mauritii Saxon. Electoris & Alberti Brandenburgic: apud eund. *lib. 24. Hiſtor. p. m. 735.* Jung. Collectan. Dn. D. Frideric. Hortlederi, Hiſt. & Politici exactiſſimi.
6 *Tom. 2. lib. 2. d. cauſ. bell. Germanic. pag. 805. ſeq.* Principem verò aut judicem, qui ſubditorum felicitatem iniquis actionibus aut ſententiis perturbat, eorumque fortunas judicandi poteſtate evertit, limites ordinis ſui excedere ſatis demonſtrat Ariſtotel. *5. Politicor. 6.* ibique aurea paraphraſ. Daniel. Heins. & obſervat. Michaël Piccart. *Propoſitum manifeſtum eſt*, inquit Stagirita, *oportet non tyranni-*

rannicum, ſed patremfamilias, & regalem eſſe videri illis qui in poteſtate ſunt, & non oxtortorem bonorum, ſed tutorem. Quo cum eleganter conſpirat Gvilielm. Ames. *d. Tr. & cap. d. caſ. conſcient. n. 9. pag. m. 331. Debet magiſtratus favere etiam & promovere felicitatem extremam ſubditorum, non exactionibus iniquis perturbare, & evertere ipſorum fortunas, Prov. 28. 15. 19. In iſtos fines incumbit magiſtratui ſingularis cura legum & judiciorum, ut omni juſtitiâ & æquitate tàm conſtituantur, quàm exeqvutioni mandentur. Eſai. 10. Jerem. 5. Deuter. 1. 16. 17. Chronic. 19.* Hinc concluditur: *Cuicunq; ſubditi poſſunt, in graviſſimo atq; certiſſimo diſcrimine fortunarum ſuarum, reſiſtere, ab ejus ſententiâ iniquâ fortunas evertente licet quoq; provocare ad ſupremum tribunal Dei. Atqui magiſtratui poſſunt ſubditi, in graviſſimo atq; certiſſimo diſcrimine fortunarum ſuarum, reſiſtere. Ergò, ab ejus ſententia iniqua fortunas evertente ad ſupremum tricunal Dei licitè poſſunt provocare.* Majoris conſequentia, ex legitimâ argumentandi ratione, à minori ad majus conſtat. Minoris autoritas ex
præcedentibus firma eſt. Denique (4.) licita videtur ejus- 7
modi provocatio, quia judicum iniquitatem atque acerbitatem, metu tremendi illius judicii, conſtringit, atque corrigit, & aliorum quietem promovet; Quò referenda ſunt ea, quæ ſub initium capitis hujus attuli, ex Viguerio Granatenſi. Ex quibus infertur: *Quodcunq; iniquitatem judicum atq; acerbitatem conſtringit atq; corrigit, illud in ſe licitum eſt atq; tolerandum. Provocare judicem iniqvum ad ſupremum tribunal Chriſti judicum iniquitatem atq; acerbitatem conſtringit atq; corrigit. Ergo in ſe licitum eſt atq; tolerandū.* Majoris conſequentia extra controverſiam evidens eſt. Minoris veritas in ſuperioribus radicata eſt.

Deni-

Denique & exemplorum multorum autoritate hanc aſſertionem comprobari poſſe obſcurum non eſt. Relinquitur ergo hanc provocationem in civilibus cauſis eſſe licitam.

Cap. III.

Quæſtionem propoſitam negativè decidit.

1 Longè mihi alia mens eſt, quàm ut ſententiam illorum ratihabeam, qui perverſitati frenum laxant, cui in delitiis eſt, ut vel leviſſimo modo tacta ingenium ſuum praviſſimum, ſimulandæ coram hominibus innocentiæ cauſâ, ad tremendum illud tribunal convertat.
2 Nam hujusmodi quidem generis malitioſi exemplum ex Anton. *p.3. ſumm. de Offic. Advocator.* memorat Ventur: de Valent in *Parthen. litigios. lib.2. cap.14. num.19. de* Advocato, qui, qvum ſæpies hoc appellationis remedio temerariè uſus eſſet, & ægrotus mortis imminentis admoneretur, adhuc ſibi appellandum putavit, *appello*, inquiens, *appello*. Aſt paulò poſt vitæ finem miſerrimè concludit ſententiam immutabilem atque inappellabilem expertus. Ecce! Hæc fata manent eos qui ſanctiſſimo præſidio abutuntur. Uſque enim adeò horrendum eſt,
3 juſtiſſimo illi tribunali ſine causâ appropinquare! Quin & naturali rationi contrarium. Quod, quoad partem quidem adverſam, dijudicare difficile non eſt, qvum charitati proximi apertè repugnet Martin: Rumelin. *p. 2. ad A. B. Caroli IV. Differtat. 2. Coroll. 2.* Nec multò difficiliùs
4 quoad judicem. Principio enim, poteſtatem atque autoritatem Magiſtratus, quam reverenter habere, & illæſam conſervare debent, uti ſuperiùs oſtenſum, cum ſcandalo quodam proculcant, qui hâc ratione provocant, & ſic peccatum adverſus legem Dei committunt. Dum enim

hâc

hâc provocatione magiſtratus iniquitatem omnibus apertam faciunt, minùs eum religioſum eſſe oſtendunt, Dei que à quo ejus originalis eminentia dependet, curam gerere nullam. Unde contemtus atq; vilipendium & omne malum oritur. Quòd ſi enim ſubditi minùs metuunt 5
injuſti ab eo, quem religioſum exiſtimant, Deique curam gerere credunt; ita multi eorum imponunt poteſtati unius, quando contumeliâ ſe adfici, mala inferri, & bonis atque fortunis ſe impediri ſentiunt. Hinc ira erga judicantes, miſericordia erga læſos, metus quoq; ob mala ſeqvutura plura, odium denique certiſſima imperii peſtis, ut, judicio Juſt. Lipſ. *4. P. C. 11. num. 167.* neſciam, an ulla ars aut actus eam penitùs evellat. Utrumque egregiè inſinuat Ariſtoteles. Prius quidem illud *5. Politic. 11. pag. m. 375.* ubi: ***Adhuc autem erga Deos videri ſemper ſtudium ponentes eximiè. Minus enim metuunt accipere aliquid injuſti facti ab hujuscemodi, ſi religioſum exiſtimaverint eſſe principem*** (judicem) ***& curam Deorum gerere. Et minus ipſi inſidiantur ut ſocios habenti, quique auxilium laturi ſint, Deos. Decet autem talem videri citra ſuperſtitionem.*** Alterum verò *eod. libr. cap. 10. pag. 353.* ***Propter injuſtitiam enim & metum & contemtum, multi eorum, qui ſubjecti ſunt, imponunt poteſtati unius atq; è genere omni injuſtitiæ, maximè ob contumeliam.*** Id quod apertè indicat Sulpitius Aſper ap. Tacit. *15. Annal. 68.* qui cauſam rogatus, quare Neroni inſidias ſtruxerit, ingenuè confeſſus eſt, non aliter tot flagitiis ſubveniri poſſe. Omnibus ergò modis Princeps 6
ac Magiſtratus opinionem injuſtitiæ tollat, qvum in opinione majus ipſi diſcrimen ſit, quàm in vitiis ipſis. *Scimus* enim, inquit Cicero pro L. Manil. ***homines ut metuant aut oderint, non minùs opinione aut famâ, quàm certâ aliquâ***

ratione moveri. Unde ſignatè admodum Lipſius *cap. ſupr. laudat. num. 16.* Principem ac in genere Magiſtratum omnem ac judicem compellat: *Fuge hoc*, ſc. odium, *aut regnum Te fugit, imò vita. Quomodo autem? Si ea fugies, quibus id paratur, primùm vitia, deinde & vitiorum opinionem.*
7 Quamobrem non malè conſuluiſſe videtur Feldenus *Element. Jur. human. p. 3. c. 3. a. 2.* Magiſtratui, ut, ſi quid malum commiſſum eſt, id ex neceſſitate ac ratione officii commiſſum eſſe diſſimuletur, & palàm exhibeatur contrarium ejus, ex quo, quod perpetratum eſt, manare ſoleat. Sed reſpondet ipſi Tacit. *1. Annal. 2. Tiberii, Cajiq; & Claudii ac Neronis res, florentibus ipſis ob metum, falſæ poſtquàm occiderant recentibus odiis compoſitæ ſunt*, ibique Doctiſſimus Cyriacus Lentul. *Arcanor. regnor. & Rerump. ex Tacit. p. m. 30. Veritatem premi, non opprimi communis hominum ſermo fert, tegatur licet, abſcondatur, majori vi, quò graviùs preſſa fuerit, erumpet in omnium oculos ad æternitatem famæ evolatura. Quare nihil agis, Tiberi, ficta regni fugâ, modeſtiam compoſiti oris vultu clementiam mentiendo. Erunt qui tibi larvam detrahentes latentem ſub eâ*
8 *deformitatem protrahant.* Quòd ſi ergò tot & tantis expoſita ſunt periculis regna & Principatus, in quibus fervent ſubditorum odia erga poteſtates magiſtratuum ac judicum, ſanè occaſiones omnes ſolertiſſimè erunt præcidendæ, quæ odia ſubditorum erga magiſtratus incen-
9 dunt, promovent, & ſeditiones excitant. Quid v. poteſt eſſe ad ſubditorum animos odio inflammandos aptius, quàm palàm cõqueri ſuper juſtitiâ denegatâ, lugere fortunas, alteri præter meritũ, adjudicatas, ſibi v. innocenti ereptas, & hoc nomine judicium divinũ ſtato die ac horâ palàm cõſtituere? Quid eſt claſſicum canere ſuper imperio-

rum

rum judicio malè conſtituto, ſi hoc non eſt: Secundum hæc itaque infero: *Quodcunq; Magiſtratus autoritatem cum ſcandalo proculcat, ſubditorum animos adverſus jus dicentes excitat, & communem tranquillitatem turbat, illud in ſe illicitum eſt ac minimè tolerandum. Provocatio à judice terreſtri ad judicium divinum, ſtato die ac horâ, ſuper causâ, de quâ provocatur, conſtituendum autoritatem magiſtratus cum ſcandalo proculcat &c. Ergò in ſe illicita eſt ac minimè toleranda.* Et major & minor ex antecedentibus conſtant.
His accedit (2.) Quòd difficilè admodum ſit, explorare 10
fontes & cauſas uti negotiorum publicorum, ita & judiciorum, ac proindè ſubditi prohibendi ſunt, ne judicium temerarium, uti nec de adminiſtratione, ita nec de ſententiis magiſtratuum ac judicum ferant. Quamvis enim privatorum quorundam voluntas recta ſit, ſuperare tamen affectus nequeunt, ſed patiuntur ſe vinci & ſuperari moleſtiis, hinc facilè cum vitioſis confundi poſſunt, quia, licet vitioſi non ſint, faciunt tamen eadem, quæ vitioſi faciunt, quemadmodum, qui non ſtulti ſunt, eadem nonnunquam cum ſtultis faciunt. Etiamſi ergò juſtè patiuntur ipſi, premi tamen ſe exiſtimant, quia rem aliter concipiunt, quàm revera eſt. Totius 11
ergò eſt, & bono publico convenientius, interdicere privatis de adminiſtratione Magiſtratuum ac ſententiis judicium, ne injurii fiant in ipſos & pœnas capiti arceſſant. Ita enim pulcherrimè omnium, pro more ſuo, Gvilielm. Ames. *d. Tr. d. Conſcient. lib. 5. cap. 25. n. 15. pag. m. 332.* ubi ea, quæ ſupra latè deduxi, in tabulâ quaſi artificiosè comprehendit. *Debent*, inquit, *ſubditi ex ſingulari reverentià cavere, ne temerarium judicium ferant de ipſorum (magiſtratuum) adminiſtratione. Exod. 2. 28. Eccl. 10. 20. 2.*

Petr.2.10.Judic.8.Fundamentum bujus cautionis eſt,pergit,
*(1.) candor ille, qui, qvum erga omnes adbiberi debeat, tum
ſingulariter erga ſuperiores. (2.) Difficultas explorandi fon-
tes & cauſas negotiorum publicorum. (3.) Moderatio illa,
quâ leves infirmitates & offenſiones tolerare debemus, &
tranquillitati communi condonare.* Hinc ſecunda deci-
dendi ratio: *Quicunq, rationem ejus, quod judicatum eſt
vel planè non, vel non ſine difficultate penetrare poſſunt, illi
malè & illicitè ad judicium divinum, ſuper iniquitate ſenten-
tiæ, provocant. Atqui litigantes vel planè non, vel non ſine
difficultate penetrare poſſunt rationem ejus quod judicatum
eſt. Ergo malè & illicitè ad judicium divinum, ſuper iniqui-*
12 *tate ſententiæ, provocant.* Præterea, tertio decidendi loco,
ita procedo, aut litigantes certô ſciunt, cauſam ſuam eſſe
juſtam, aut dubitant, aut noverunt indubitatè eam eſſe
injuſtam. Si hoc, temerè & nefario ſcelere ad judicium
divinum provocant. Sin illud, aliud remedium ſupereſt,
provocare ad judicem ſuperiorem terreſtrem. Aſt forte-
an in judicio appellationis humano ſupremo lata eſt ſen-
tentia, de quâ nec remedium ullum in terris ſupereſt. Sed
& tum temerè provocatur in civilibus, quia ſine injuriâ
adſeri non poteſt, Judicem ſuperiorem iniquitate judi-
cis inferioris conſcientiam quoq; ſuam contaminare vo-
luiſſe, quippe quod ejusmodi contemtus, magiſtratuum
quidem ad civitatem univerſam, Conſiliariorum autem
13 ad principem redundet. Non ſine causâ igitur hunc ap-
pellandi modum nullo jure defendi poſſe adfert Parthen.
litigoſ. *lib.3.c.31.* Cui ſuffragantur Menoch. *2. de arbitrar.
judic. quæſt. centur. 4. p. m. 556. edition. Agripp. 1599.* & Jul.
Clar. *lib.5. ſentent. §. final. practic. criminal. quæſtion. 88.
num. 17. pag. 358. edit. Francof. 1604.* ubi in Senatu Medio-
lanenſi

lanenſi duos arbitrariè punitos eſſe refert, qui ad vallem Joſaphat provocârunt, alterum Carlettum ad catenam infamem eſſe poſitum. 10. April. 1553. alium Thomam Mantellum juſſum fuiſſe renuntiare provocationi & fuſtiga- 14
ri. 10. Septembr. 1556. In quam ſententiam pronuntiârunt quoque JCti noſtri menſ. Majo anno 1656. ad requiſitionem Innocentii Freywalds zu Leipzig his formalibus: Daß Rector Academiæ angezogene grobe injurien, und die aus Leichtfertigkeit unnötiger Weiſe angedrohete Fürladung vor Gottes Gericht gebührlich zu vindiciren/ und inſonderheit die Univerſität, bey ſo geſtalten Sachen/ umb Schutz anzuſuchen wol befuget/ und/ wofern es/ oberzehlter maſſen/ alſo bewand; So iſt injuriant, wegen ſeines groben und ärgerlichen Verbrechens nit allein die niedergeſchriebene Trau- unñ Beſchuldigungs-Wort/ als wolle er deßwegen den Rectorem wiederumb vor das Jüngſte Gericht citirn, weil ihme juſtitia denegiret/ und er gedrucket würde/ uf vorhergehende recognition, coram Senatu Academico zu revociren, unñ dem Rectori eine Abbitte zu thun ſchuldig/ ſondern er wird auch hirüber/ andern zū Abſcheu/ excluſione & amiſſione Privilegiorum, oder einer ziemlichen Geld-Straffe/ ſeinem Vermügen nach/ nit unbillich willkührlich beleget/ V. R. W. Conſule Ordinarium noſtrum Magnificum Dn. D. Chriſtophorum Philip. Richterum, *Facultatis & totius Academiæ, JPtiæ pariter decus æternum, Doctorem, Promotorem atque Patronum noſtrum ſempiternâ pietate obſervantiſſimum, quem divina clementia Academiæ & Facultatis inprimis felicitati diutiſſimè ſuperſtitiem eſſe velit.* commentat. ad R. J. 2. num. 20. *pag. m. 21. & 22.* Aſt quid reſpondendum erit illis, qui ex præmiſſis inferre poterunt, hic ratione omnem appellatio-

nem, ad judicem etiam terreſtrem, eſſe illicitam, qvum & hæc querelam injuſtitiæ complectatur, & autoritatem judicis à quo, ſic æquè ac provocatio ad tribunal Chriſti, cum ſcandalo proculcet. Negamus ipſis conſequentiam.
16 Quamvis enim appellandi uſus iniquitatem judicantium vel imperitiam in melius reformet, ex ſententiâ Ulpiani in *l. 1. de appellat.* autoritatem tamen Magiſtratuum ideò non conculcat, nec ſtomachum plebi movet, quia in judiciis humanis receptus eſt; Quòd ſi enim ſubditi ad contemtum ſtatutorum ferantur, ad magiſtratus autoritatem proculcandam, ſi, absque cauſa urgenti, ea mutentur, quæ ſemel recepta ſunt, vid elegant. Dn. Hieronym. Imhof. Patricium Noribergicum, & peregrinatione & ſtudiis clariſſimum *ſingular. Politic. Ration. ſtat. 10. pag. inprim. 107. & 109.* conſequitur ſanè, illos non moveri, ſi remediorum ſalutarium uſus continuetur, & provinciarum leges ad præteritos caſus utiles, perenni conſtantiâ, obſerventur. Quod ipſum, præ cæteris, ſedulò inculcat Auguſtus apud Dion. *lib. Hiſtor. 53. Poſitas*, ait, *leges conſtanter ſervate, nec ullam earum immutate. Nam, quæ in ſuo ſtatu eademq; permanent, etſi deteriora ſint, utiliora tamen ſunt Reip. his, quæ per innovationem vel meliora adducuntur.* Quibus ſimilia planè tradit Valer. Maxim. *l 2. c. 6. In minimis quoq; rebus omnia antiquæ conſuetudinis momenta eſſe ſervanda.* Sic ergò patet, non concitari ſubditos per ea, quæ recepta ſunt atque uſitata, quàm per illa, quæ inuſitatiſſima ſunt atque noviſſima. Inſuper nonnulli provocationem hanc ideò volunt eſſe illicitam, quòd ſpecies
17 vindictæ privatæ ſit. Sed non eſt. Vindicta enim privata non committitur aliter, quàm ſi aliquis autoritate privatâ, ſive non adito judice, injuriam, Rempublicam, vitam

tam, corpus, famam, jurave noſtra lædentem ulciſcendo ac defendendo propulſat. *Ubicunq;* igitur *aditur judex, ibi privata vindicta ceſſat. Atqui in hac provocatione aditur judex. Ergo hic privata vindicta ceſſat.* De majori videatur latè atque egregiè Senior noſter Prænobiliſs. Dn. D. Georg Adamus Struvius JC. conſummatiſs. & famâ immortalis *Doctor atq; Patronus noſter ætatem quàm maximè deveneranduſ, quem Deus pariter, pro bono Academiæ & Facultatis præcipuè conſervando, cum universâ familia ſuâ ſplendidiſſimâ, & omnibus qui ad ſanguinem ejus pertinent, diutiſſimè ſoſpitet.* Tr. ſolidiſs. de Vindict. privat. *cap. 1. th. 9. & ſeqq.* Minorem non diſputabunt Diſſentientes, ut ſpero, ideò quod Judex, qui aditur, non ſit terreſtris, ſed divinus. Quòd ſi enim in illis tantùm caſibus vindicta privata ceſſaret, ubi ad judicem terreſtrem itur, toties vindicta privata committeretur, quoties, præterito judice terreſtri, injuriæ etiam privatorum divinæ ultioni commendantur, quod ego non facilè dixerim. Urget tamen adhuc, ut videtur, ſententiam Diſſentientium, quòd, ſi in hâc provocatione ceſſet vindicta privata, in locum illius ſuccedat publica, quæ omni jure divino & humano prædicatur eſſe licita. Alterutram enim vindictæ ſpeciem hic concedere neceſſe eſt. Tollunt tamen hæc quæ eleganter adfert Grot. *2. d. B. A. P. c. 1. §. 9. Lex enim naturæ, quatenus legem ſignificat,* ait, *non ea tantùm reſpicit, quæ dictat juſtitia, quam expletricem diximus, ſed aliarum quoq; virtutum, temperantiæ, fortitudinis, prudentiæ actus in ſe continet, utpote in certis circumſtantiis non honeſtos tantùm ſed & debitos.* Unde porrò conſequitur, quòd lex charitatis, hoc in caſu nō obſtringat nos ad id quod jure naturæ juſtū eſt, ſed potiùs exigat à nobis prudenter quàm juſtè agere. 19

Quem-

Quemamodum igitur defenſio illicita eſt adverſus perſonam publicè utilem, ob legem dilectionis, ita ut ejusmodi perſonæ invadentis vita ſine peccato exſtingvi nequeat, ita & hæc vindicta, quæ eſt ſpecies defenſionis naturalis, ob legem dilectionis, ſine peccato exerceri non poteſt, etiamſi, quoad juſtitiam expletricem, illicita non videatur.

Cap. IV.

Rationibus dubitandi reſpondet.

1 Sic ergo rationes ſuperiùs præmiſſæ apertè indicant, provocandi actum ad ſupremum Chriſti tribunal in civilibus vel maximè illicitum eſſe. Excutienda jam erunt ea, quæ adſertioni huic, anteriori c. 2. obverſa ſunt.

2 Quantum ergò ad argumentum 1. quod bonum ex provocatione ejusmodi reſultans inferebat, negamus majorem eſſe ſimpliciter veram. Aliud enim eſt id quod appetitur, aliud ratio ſub quâ appetitur. Etſi enim objectum, ſive id in quod appetitus fertur, bonum eſt, ſi tamen, ſub ratione mali, appetatur, actus ille pro licito reputari non debet. *Peccata* enim, inquit Ariſtotel. 3. Ethicor. *committuntur alia, qvum id agitur quod non oportet, alia quod non quo tempore oporteat, aut aliud hujusmodi.* Circumſtantiæ namque magnum hîc momentum habent, qvum quod bonum ſæpe ex objecto, idem malum ſit ex fine, &, quod bonum ex utroq; malum nonnunquam ſit propter ſolam circumſtantiam, prout hæc accuratè ſatis enodat laudatus Horn. *b. in. Philoſoph. Mora. c. 7. n. 17.* Limitanda ergò erit major: *Quodcunq; fertur principaliter in aliquod bonum*, ſub ratione ſc. boni tàm ſibi quam alteri, *illud in ſe licitum eſt atq; tolerandum.* Sic negatur minor. Provocatio enim ad judicium divinum quamvis principaliter feratur in aliquod bonum, emendationem ſc. provocan-

vocan-

vocantis, conatumque injuriorum cohibitionem, ratio
tamen ſub quâ illud appetitur, mala eſt. Illum enim
emendari atque cohiberi vult provocans, prout ſibi bo-
num, provocato verò malum ſit. Qvum enim inimicus
provocato ſit, vix contingere poteſt, ut ipſi bonum velit,
ceu hæc accuratè in theſi enucleat Philoſophorum acu-
tiſſimus Dn. Daniel Stahlius p.m. *Regular. Philoſophic. p.1.*
Diſput. 10. Regul. 1. n. 10. & 11. In II. dubitandi ratione ex 3
reſervatione divini judicii, in conſtituendo tribunali hu-
mano, petitâ, negamus conſequentiam. Non enim ſe-
quitur: Homines, in conſtitutione tribunalium huma-
norum, vindictam divinam reſervârunt omnibus ſupe-
rioribus malè agentibus. Ergò ſubditis divinam vindi-
ctam, in deſpectum judicantium, palam provocare, & ſta-
tum in judicio divino comparendi terminum præfigere
licet. His enim ob rationes præcedentis cap. adductas, de-
bet eſſe ſatis, privatis ſuſpiriis juſtiſſimo judici, ſi quid ini-
qui ſe expertos eſſe putent, commendare. Quocirca re-
prehenſionem nullam incurrit formula illa conqueren-
tium trita: **Jch wil es Gott befehlen/der wird es wol rich-
ten.** Ne, ulteriùs procedunt verba Seldeni, quando per-
ſvaſionem divini judicii hominib necesſariam eſſe infe-
runt. Autoritatem enim judicis humani tanquam ſupe-
rioris attendendam, quàm maximè v. ad judicem omni-
um ſupremum reſpiciendum eſſe volunt. Nil ampliùs.
Nec deniq; voluerunt illud primi conſtituentes, qui auto-
ritatem Magiſtratuum ac judicum ab omni contumeliâ
ſanctâ coetui, cui ſe aggregârunt, propoſuerunt, & tran-
quillitati conſervandæ vel maximè litârunt, de quo ſupe-
riùs cap 1. latiùs III. Dubitandi ratio in majore pariter la- 4
borat conſequentiâ. Ut enim taceam, ritè non procedere

conſequentiam in humanis: *Quicquid ab altero conſtitutum eſt, ab eo ad conſtituentem provocare licet*, nam hic alia ratio negandi ſubeſt. Quamvis enim inficiari non poſſim, ſed latiſſime ſuperiori cap. I adſtruxerim omnem omninò poteſtatem terreſtrem à ſupremo illo numine in fieri ac eſſe pendere, ac proinde tribunal illud ſupremum religioſiſſima mente perpetuò à nobis ſuſpiciendum eſſe ac timendum, qvum tamen autoritas magiſtratuum ac judicum ejusmodi provocatione infringatur, & periculum bono publico immineat, utpote latiùs à nobis *cap. antecedent.* ex principiis naturæ ac politicis repetitum, inde licentia illa in Republica tolerari non debet. Nec ad rem quicquam facit inſtantia de modo appellandi a judicio inferiori humano ad ſuperius. Nam & ſuperiori cap. reſpondi, probè in actibus civilibus licitè aut illicitè conſtituendis diſcernendum eſſe id quod receptum eſt ab eo quod inſolens & ſine periculo motuum introduci non
5 poteſt, nec debet. IV Dubitandi ratio minorem habet infirmam, ſive propoſitio intelligatur de ſingulis civibus, ſive de univerſis, Licentia enim Magiſtratui pravo reſiſtendi ſubditis conceſſa exitio Reipublicæ eſt, quod probat Gerſon in *Centur. errorum adſertorum per Johannem Parvum*, qui cædem Ducis Aurelianenſis excuſaverat: *Per hanc adſertionem*, inquit, *apperiretur via ad homicidia regum ac Principum quorumcunq; ad violationem fidei ac juramenti, ſi liceret eos propriâ autoritate necare, aut in eos fraudes moliri, daretur & occaſio ſubditis rebellandi & contemnendi Principes. Nemo enim ambitioſus, aut à Principe caſtigatus non fingeret in eum ingentia crimina, ut eum populo exoſum redderet, nulla eſſet imperandi ſecuritas.* Cui concordat Autor *Reminiſcentiar. Politicar. ad Hiſtor. Miniſter.*

niſter: Cardinal. Richel. pag. m. edition. Herbipolitan. 74. &
75 ubi, qvum ex ſacris tabb. antea latè demonſtrâſſet, re-
gibus dexterâ Dei conſtitutis neminem ex quâcunque 6
causâ ſine culpâ perduellionis refragari licere, tandem
concludit: *Quæ qvum ita ſint, mortalium non fuerit contra
reges ex quacunq; ratione inſurgere, neq; ſubditorum, auto-
ritatem, contra Dei inſtitutum, eripere, & leges ipſi præſcri-
bere. Hinc apud æquiores Politicos,* pergit, *minimè ferendum
cenſetur, ſi ſubditi jugum à Deo impoſitum excutiant, & au-
toritatem in eos ſumant, quibus actionum omnium rationes
erant reddendæ, qvum ſubditis ex lege Dei, præter fugam,
nulla concedatur defenſio.* Jung. *pag. ejusd. 100. 101. & 104.* Sed 7
nimis fortean Autor Reminiſcentiarum reſtrictè, ſtudio
extollendi Monarchiam Gallicam abſolutam, de ſubdito-
rum poteſtate reſiſtendi judicat. Nam & omninò regula
de non reſiſtendo caſum ſummi diſcriminis & diræ neceſ-
ſitatis excipit, quando ſcilic. magiſtratus ordinis ſui limi-
tes, quibus poteſtas illius, ex inſtituto divino, circumſcri-
pta eſt planè egreditur. Sed hoc non contingit niſi tribus 8
caſibus, quorum primum exprimit Grot. *1. d. B. A. P. c. 4.
§. 7.* quando Rex, Princeps aut Magiſtratus imperiũ abdi-
cat, aut pro derelicto manifeſtè habet. (2.) Si regnum verè
non per modum protectionis clientelaris, aut nexus cu-
jusdam feudalis, alienet atq; tradat (3.) Si hoſtili animo in
totius populi exitium feratur, & ſe hoſtem populi totius
profiteatur. Tunc enim in Tyrannum degenerat Prin-
ceps, aut qui ejus loco eſt, cujus poteſtatem Deus nec con-
ſtituit nec fovet, nec eos, qui contra ipſos legitimis modis
nituntur, ipſisque reſiſtunt, damnat. Poteſtas enim Ty-
rannica prorſus & funditus perverſa eſt, nihil autem per-
verſi à Deo proficiſcitur, nec tyrannis aliter Deus præſto

eſt, quàm conveniendo & permittendo, quia, propter pec-
cata populi, poteſtatem ejus noxiam mutare non vult.
Vid. Arnis. *Tr. de Autoritat. Princip. ſemper inviolab. cap. 2.*
num. 3. Quod ipſum agnoſcit etiam Gvilielm. Barclajus
l. 3. adverſ. Monarchomachos, cap. 16. regii alioquin imperii
adſertor fortiſſimus. Jung. Samuel Bochartus *in Epiſtol.*
ann. 1650. ad Sacellan. Magnæ Britan. Regis Morleyum. Mel-
9 chior Goldaſt. *Tom. 1. Conſt. imper. pag. 205.* Summum ita-
que illud diſcrimen, non, uti in ratione dubitandi propo-
ſitâ, æſtimandum eſſe ex quibusdam actionibus, quibus
ſubditi quidam premuntur à ſummâ poteſtate aut magi-
ſtratu, ſed ex toto regiminis inſtituto, propoſito ac formâ
adeoque pro diſcrimine ſummo æſtimandum non eſſè, ſi
Princeps aut magiſtratus legitimus aliquantiſper dege-
neret, dum fortean in vitâ privatâ deſidiosè, luxuriose &
turpitdr agit, vim ſingulis intentat, eorumque fortunas e-
vertit, contra leges moresque civitatis quippiam com-
mittit, &c. Hæc enim omnia ad judicium Dei pertinent,
& ſolius Dei examini & vindictæ reſervantur, adeoque
ſubditis judicium in his prorſus ademtum eſt nec niſi
9 peculiari juſſù divino ad pœnam incompetenter infligen-
dam properare aut vi in caſibus ejusmodi reſiſtere poſ-
10 ſunt. Vid. latiùs laudatum Arnis. *lib. 1. de Jur. Majeſt. c. 6. n. 8.*
Quâ ergò ratione conſulendum erit ſubditis, qui à ſum-
mâ poteſtate aut qui loco illius ſunt, premuntur, ſi nec re-
ſiſtere debent aut poſſunt? Tria ſuperſunt querentibus
media, (1.) Deprecatio, (2.) Fuga, (3.) Tolerantia. Primò
namq; omnium convenit illis placidam gravaminum o-
ſtenſionem adhibere, &, ſi nec tum malo intolerabili me-
dicina adferatur, emigrare; Utroq; remedio cõſultum eſt
Auguſtanæ Confeſſionis addictis, qui ob religionem pre-
muntur in Bohemiâ, Auſtriâ, Hungariâ & Sileſiâ. Pacifi-
cati-

cation. Oſnabruggenſ. *art. 5. §. 12. & 13.* Et quoad deprecationem quidem atq; gravaminum deductionem diſponitur memorato art. 13. verſ. Und als von mehrer Religions Freyheit und Ubungen in obgedachten und übrigen der Römiſch. Kayſ. Maj. und Hauſes Oeſterreiches Königreichen und Landen zuzulaſſen/ bey gewöhnlichen Tractaten gehandelt worden/ und/ wegen der Herren Kayſerlichen Gevollmächtigten Widerſprechung / man nicht enig werden können; So behalten die Königl. Majeſt. in Schweden und Augſpurgiſche Confeſſions-Verwandte ihnen vor / umb deſſentwegen uff nechſt-künfftigen Reichs-Tage oder ſonſten bey der Römiſch. Käyſerl. Majeſtät/ jedoch mit Vorbehalt des nichts deſtoweniger fortgehenden Friedens/ reſpective gütlich und demütig zu intercedieren. De altero beneficio emigrationis perſpicuus eſt *artic. dict. 12. verſic.* Da aber ein Unterthaner ſo weder öffentlich noch privat ſeiner Religion Exercitium anno 1624. gehabt / oder auch ſo nach dem publicirten Frieden die Religion ändern wird/ von ſich ſelbſt abziehen wolte/ oder von dem Lands-Herrn ſolches zu thun befehliget würde/ dem ſoll frey ſtehen/ entweder bey behaltenen oder vereuſſerten Gütern abzuziehen/ &c. Quòd ſi verò nec de 11
precatione, nec fugâ atque emigratione ſubditis ſingulis, qui, contra divinum atque naturale jus, onerantur, conſuli poteſt, tum tertium, ſed flebile remedium, ſuccedit tolerantia. Omninò enim convenit ſubditis aliquam exceſſivam majeſtatis uſurpationem tolerare potiùs, quàm temerè ad vim rebellem proſilire, atque hoc ipſum non ſine ratione etiam juſtitiæ naturalis, cui utique convenit, ut converſatio humana eò ſatius ſibi conſtet, infirmitates etiam in paribus nobis, vel tum quoque ubi

leviore aliquâ offenſione noſtri illæ conjunctæ ſunt, ſub-
ferre, nedum ut aliquid duriuſculi haud perpeti tene-
mus ab illis, qui nobis præcellunt, imò, quorum alias ma-
nus potentiori ſubjecti ſumus. Nil etenim poteſt eſſe fa-
cilius, quàm eum, cui reverentiam debemus, reluctati o-
ne offendere graviùs, quàm ille ſubditum, eoque magis
injurioſus poſſit eſſe ſubditus reſiſtens poteſtati ſummæ,
12 aut locum ejus tenenti, quàm ille in ipſum fuerit. Quid?
quod, qui ſummæ rei per civitates profunt, omnem, imò,
ubi jam conſtituti ſunt, ſtatus ſui dependentiam à divinâ
autoritate eminentiori habeant, indeque munitam obti-
neant, &, quod plurimum divinitus, in juſtiſſimam tem-
poralem vindictam divinam à Deo ab immorigeris ſu-
mendam exceſſus illi majeſtatici indulgeantur, ſic ergò ex
præmiſſis ad oculum patet, falſam eſſe propoſitionem
13 minorem: *Subditi* (ſinguli) *poſſunt magiſtratui in graviſſi-
ma atque certiſſimo fortunarum ſuarum diſcrimine reſiſte-
re. Multò ergò magis à ſententiâ ejus iniqua ad ſupremum
tribunal Chriſti provocare.* Ita dubitandi ratio committit
fallaciam Accidentis. Tribuit enim id provocationi per
ſe quod per accidens ei competit. Non enim provocatio
illa in ſe ac ſuâ naturâ involvit emendationem judicum
atque reſtrictionem licentiæ illius, ſed emendatio illa in-
terdum & rariſſimè ex accidenti conſequitur. Quid deni-
que reſpondendum erit tot eventibus, qui provocatio-
14 nem hanc ratam pene ac licitam reddere videntur? E-
quidem non memini in civilibus ullum occurrere exem-
plum, cujus eventus provocationi huic reſponderet, ſi
tamen, præter opinionem, fortean caſus aliquis repeta-
tur, movere non poterit. Quemadmodum enim actiones
civiles ex eventu ſemper menſurandæ non ſunt; de quo
vid.

vid. M. Zuer Boxhorn. *Conſultation. egregiam Diſquiſition. Politic. 90. pag. m. 108. & ſeqq.* nec in civitate Dei temerè damnandum atque judicandum, Dn. Johan. Gerhard. p. m. *Loc. Theologic. d. Evangeliſt. theſ. 77. pag. 157.* ita nec in foro civili exemplis, ſeu rationibus ac LL. judicandum.

15 Et ſi vel maximè eventus perpetuò reſponderet ejusmodi provocationi, eò minus toleranda eſſet, quippe quæ proximo ſemper malum minitetur, uti cap. proximè ſequenti prolixius oſtendetur. Eventus enim, qui ſupervenit actui aut eſt à nobis prævisus aut non, ſi prævisus, omnino auget bonitatem aut malitiam actus. Si non prævisus, erit vel talis, ut neceſſariò actum illum ſequeretur, & itidem addit ei aliquid, vel planè per accidens ſupervenit & nihil ſuperaddit, inquit præclarè Cunrad. Horn. p. m. *Philoſoph. Moral. l. 3. c. 4. num. 28. p. m. 375.* Ex quibus facilè pateſcit, quid de bonitate aut malitia actus hujus provocandi cenſendum ſit.

Cap. V.

Ex rationibus dubitandi ac decidendi diſquirit,

An liceat ei qui ſupplicio ultimo damnatus eſt, nec ullum remedium in humanis, pro redimendâ ſalute, reliquum habet, ad ſupremum tribunal Chriſti, ſuper innocentiâ ſuâ provocare, & certum judicio divino terminum præfigere.

Inſimulque judicis officium circa ejusmodi caſus expendit.

1 Fundamentum, in quo Societates ac Reſpublicæ incolumes perſiſtunt, ex eo potiſſimum pendere, ſi, propoſitis

ſitis bonorum ac malorum finibus, præmia rectè factis,
2 ſupplicia verò peccatis decernantur. Quò autem delicta frequentiora ſunt, eò magis proſpiciendum eſt judici, ne ad infligendas pœnas temerè proſiliat, aut ipsâ lege clementior vel ſeverior ſit, ſed cautè ac circumſpectè in caſtigandis delictis procedat, & inprimis monitum Gloſſ. Germanic. *in artic. 60. l. 1.* LandR. *num. 3.* attendat. **Ich ſage dir auch du Richter, legeſtu einem überwundenen Man einen andern Todt an/als den/welchen ihm das Recht gibet und zutheilet/ob er auch wohl darumb bittet: ſo biſtu an ſeinem Blut und an ſeiner Seelen ſchuldig/ darumb daß du ihn aus ſeinem ſelbſteigenen Willen oder Rath tödteſt/**
3 **und nicht durch das Urtheil.** Neq; enim in ejusmodi judiciis pœnalibus agitur de glande legendâ, vel aquâ & aquâ pluviâ arcendâ, nec de oleo, vino, triticoq; legato, ceu rebus vilibus, ſed de ipſo ſangvine hominis, nobiliſſimæ omnium creaturæ, & ad imaginem divinam conditæ, quem CHRISTUS JESUS Servator noſter pretioſiſſimo ſuo ſangvine in arâ crucis redemit. Quapropter unicuivis, in omni judicio inprimis criminali ſerio cogitandum, ſe eo momento, quo alios judicat, à ſupremo ac juſtiſſimo judice judicatum iri. Id quod pulchrè inſinuat Gloſſa Germanic. artic 30. lib. 3. LandR. verb. **der Richter ſoll gleich** ibi: **Hie höre zu der du ein Richter biſt/ und gedencke an das ſtrenge Gericht unſers HErrn JEſu Chriſti/ denn Gott iſt zu derſelben Zeit und Stunde auch an dem Ort/ wo und wenn du richteſt/ ein geſtrenger Richter/ und richtet über dich gleicher maſſen / als du über andere richteſt.** Quemadmodum ergò æquitatis eſt, punire eos qui peccârunt, ita æquiſſimum eſt, deflectere ſubinde ab æquitate ſtrictâ. Vid. plurib. *Diſſertation. noſtr. de Jur. Aggratiand.*

theſ.

ib.6.7.& 37. Quòd ſi ergò tàm ſeverè vindicatur ab omnipotente DEO nimia judicis acerbitas, fortean imputandum non erit inculpatis, qui ſuper illâ conqueruntur, & ad vindictam divinam ſtato die ac horâ exercendam provocant. Sed non videtur aliud. Nam & omninò judicis 5
autoritas hic quoque proculcatur cum ſcandalo, quin & ſubditorum animi contra judicem excitantur, & turbæ in Republicâ oriuntur, æquè ac de cauſis civilibus ſupra diſcuſſi. Alia tamen ratio hîc ſubeſſe cenſetur, quàm in 6
civilibus, quippe quòd (1.) in cauſis ultimum ſupplicium conſtituentibus nullum remedium aliud innocenti ſuperſit. De quo teſtatur ſatis Martin. Rumelin. *loc. ſupr. citat.* ubi, poſteaquam hanc in civilibus conſuetudinem reprehenderat, tandem diſertè concludit: *Quod tamen non ita accipi velim, quaſi nullo omninò caſu talis ad Tribunal Dei appellatio licita eſſet. Quid enim in cauſis criminalibus? Quid inquam, ſi judex vel ex errore aut falſo teſtimonio perſuaſus, ad ultimum ſupplicium condemnet etiam innocentiſſimum? Quem alium hic miſer innocentiæ teſtem, præterquàm juſtiſſimum & omnium rerum gnarum judicem Deum appellaret.* Cui accedit prælaudatus Dn. D. Richterus *loc. & n. ſupr. citat.* ubi hanc provocationem in criminalibus quatenùs licitam eſſe ſtatuit. Jung. Matth Stephan. *de Jurisd. l. 2. 2. 1. membr. 2. num. 189. & ſeqq. pag. m. 61.* Petr. Gregor. *de Appellation. l. 3. cap. 7.* Valent. Winther. *loc. ſupr. citat. num. 38.* Arnold. Clapmar. *lib. 1. de Jur. Imper. cap. 89.* Hinc ratio colligendi. *Ubicunq; nullum remedium aliud ſupereſt, quibus ſaluti adflictæ condemnatorum conſuli poteſt, ibi provocatio ad ſupremum tribunal Chriſti licita eſt. Atqui in cauſis criminalibus mortis pœnam inferentibus nullum remedium aliud ſupereſt, quibus ſaluti con-*

demnatorum conſuli poteſt. Ergò in illis provocatio ad ſu-
7 *premum tribunal Chriſti licita eſt.* Aſt utique ſupereſſe vi-
detur remedium aliquod illis, qui à judice ad mortem
condemnati ſunt; Non enim in civili ſolùm, ſed & in cri-
minali causâ appellare licitum eſt, ſive reus ad pœnam
ultimi ſupplicii condemnatus, ſive tortura ſolummodò
ei per ſententiam indicta eſt. *l.2.l.addictos.29.C. de Appel-
lation. l.2. C.ſi pendent. appell. mors. interv. l.2. C.quor. ap-
pellat. non recip. l. Pannonius.86. §. rei perduellionis. l. ſi quis
filio. 6. §. hi autem omnes. ff. de injuſt. rupt. atq; irrit. teſta-
ment. l. qui à latronibus. 3. §. ult. ff qui teſtam. fac. poſſ* Jul.
Clar. *lib. 5. ſententiar. §. ult. quaeſt. 94. per tot.* Nicol. Reus-
ner. *lib. 2. Deciſion. 23. num. 14.* Anton. Gomez. *lib. 3. va-*
8 *riar. reſolution. cap. 13. num. 31.* Equidem hæc de jure com-
muni civili ita obtinent, hodiernis tamen Germaniæ mo-
ribus non parùm immutata fuerunt, nam & in Camerâ
Imper. in quâ olim in criminalibus appellationes receptas
atq; proceſſus decretos fuiſſe apertè indicat R. A. de ann.
1530. §. item ibi: Als itzt etliche Zeit von peinlichen Sachen
vielfältig an unſer Cammer-Gericht appelliret/auch dieſel-
be appellation angenommen/ darauff Proceß erkant/ und
rechtlich gehandelt worden/ nunc tamen ex inveteratâ per
omnem Germaniam receptâ conſuetudine, à Statibus ap-
probatâ non permittuntur, nec recipiuntur, d. R. A. §.
item als itzt formalia verba: item als itzt etliche Zeit hero
von peinlichẽ Sachen vielfältig an unſer Keyſerlich Cam-
mer-Gericht appelliret/ auch dieſelbe Appellation ange-
nommen/ darauff Proceß erkant/ und rechtlich gehandelt
worden. Und ſolches dem alten hergebrachten Gebrauch
im H. Römiſchen Reich zu wider. So ſetzen und ordnen
wir/ daß hinfürder in peinlichen Sachẽ keine Appellation
ange-

angenommen/beſondern damit nach altem hergebrachten Gebrauch gehalten werden ſol, Idem innuat C. G. O. *p. 2. tit. 28.* von welchen Richtern/ in was Sachen/ und von welchen Urtheilen an das Keyſerliche Cammer-Gericht appelliret werden ſol oder nicht. §. Item: Nach dem auch dem alten hergebrachten Gebrauch im Heil. R. Reich zu wider/ daß in peinlichen Sachen Appellationes zugelaſſen werden ſollen/ ordnen und wollen wir/ daß an Keyſerlichen Cammer-Gericht keine Appellation mehr angenommen/ ſondern angeregtem Gebrauch nach/ gehalten werde ꝛc. Aſt nec in Camerâ ſolùm, ſed ex inveteratâ con- 9
ſuetudine Germaniæ totius, appellationes in criminalibus non admitti, atque illicitam eſſe, teſtantur Andr. Gail. *1. Obſerv. pract. 1. n. 28. & lib. 1. de pac. publ. cap. ult. in fin. n. 36.* Joachim. Mynſinger. *centur. 2. ſingul. Obſervat. 98. num. 4. pag. m. 164* Matth. Weſenbec. *Conſil. 43. num. 80.* Nicol. Reuſner. *lib. 2. Deciſ. 23. num. 2.* Joachim à Beuſt. *de Jurejur. num. 97.* Eman. Soarez. *Theſaur. recept. ſentent. verb. Appellatio. num. 191.* Ventur. de Valent. *parthen. litigioſ. lib. 1. cap. 14. n. 23.* Erneſt. Cothman. *Reſponſ. 7. num. 118.*
Id quod in Electoratu Saxonico nominatim obtinere, ex- 10
inde patet, quòd Curiæ Appellationis ſupremæ cognitio cauſarum criminalium planè ſit adempta, ceu teſtatur Ordinat. Appell. Div. Elector. Chriſtiani, it. tit. Wer vor unſer Appellation-Gericht geladen/ auch was Sachen daſelbſt angenommen/ und gerechtfertiget werden möge. §. Jedoch allein in verb. dann ſo viel die peinlichen Sachen anlanget/ weil es bißhero nicht bräuchlich geweſen/ daß in unſerm Appellation-Gerichte in denſelben erkant/ ſo laſſen wir es auch dabey wenden ꝛc. Jung. JCtum illuſtrem Dn. D. Carpzov. *pr. Criminal. p. 3. Quaeſt. 139. num. 29. &*

mult. Diſſent. Juſt. Oldecop. *Tr. de appellat.* quod conſuetudinem quidem Germaniæ univerſalem *à num. 21. usq. ad 31.* quod conſuetudinem verò Saxonicam *à n. 32. usq. ad 138. contra Dn. Carpzovium.* Sed fruſtra vellicat JCtum illum conſummatiſſimum atq; immortalem. Relinquitur ergò nullum ipſis remedium ſupereſſe, qui ad
11 ſupplicium ultimum condemnati ſunt. (2) Ceſſat hic difficultas explorandi fontem ejus, quod judicatum eſt. Non enim ignarus poteſt eſſe is, qui condemnatur, an mortem juſtè ſubire debeat vel non, quippe qui optimè ſibi conſcius eſt, an crimen, ſuper quo condemnatur, admiſerit vel minimè. Quod in civilibus ſecus eſſe ſupra
12 admiſi. (3.) Multorum caſuum eventu conſtat, provocationem illam à ſupremo judice eſſe cum effectu receptam, & judicem terreſtrem iniquè acerbum eſſe condemnatum, ceu pluribus videre eſt ex Johann Limn. *Addit. lib. 2. J. P. p. m. 830.* Carol. vom Hagen. *J. P. lib. 1. cap 4. pag. 103.* Conrad. Dinner. JC. *Hiſtor. expoſ. de ort. & reb. geſt.* Baron. à Seincheim *lib. 1. cap. 34* Petav. *in Ration. Tempor. l. 9. cap. 4. pag. 580.* Marc. Zuer. Boxhorn. *Hiſtor. univerſal. pag. 824.* Balæum *in vit. Pontific. pag. 301. & 302.* Scipion. Aurel. *lib. 4. c. 26. de reb. geſt. Gall. p. 316.* Aventin. *l. 4. Annal. Bojor.* Onuphr. Panvin. *Epitom. de Pontif. Roman.* Lambert. Scafnaburgenſ. *in Annal.* cum Abb. Urſpergenſ. *Argentorat. pag. 466.* Joh. Baptiſt. Fulgoſ. *lib. 1. Exemplor. c. 6. pag. 46.* Bolcholzer. *Indic. Chronol. ad ann. Chriſt. 1312. pag. 409.* Wolfium *Lection. memorabil. & recondit. centenor. 12. pag. 331. & 332.* Johan. Wilan. *l. 8. Hiſtor. Florentin. cap. 29. pag. 640.* Centur. Magdeburgenſ. *VII. c. 6. pag. 937.* Majol. *Tom. 2. dier. canicular. colloq. 2. pag. 524.* Bacon. *Tom. II. Annal. Ann. 1509. n. 81. & 82.* Michael Ritium.

l. 3. de

l. 3. de Regn. Hiſpan. Joſeph. Marian. *l. 15. Annal. Hiſpanic. c. 11.* Philipp. Harsdörffer Schauplatz/Luſt und Lehr-reicher Gſchichte *p. 3. pag. 251. & part. 8. pag. 155. 256.* Meier. *lib. 2. Annal. & lib. 17* Camerar. *Hor. ſubſeciv. p. 3. cap. 38. pag. 130.* Gregor. Richtern *Appendic. Axiomat. Hiſtor. reg. 299. pag. 508. & 509.* Johan. Azor. *Inſtit. Moral. Tom. 1. lib. 3. cap. 6. pag. 1209.* Juſt. Lipſ. *monit. Politic. l. 2. c. 11. pag. 281.* Jacob. Spigel *in Schol. ad Günther. Ligurin. lib. 1. pag. 286. 287. & 288.* Chriſtophor. Beſold. *Tr. de Appellat.* & *Tr. de pœn. pag. m. 31.* Quamvis itaque (1.) eadem incommoda 13
ex ejusmodi provocatione in criminalibus oritura videantur Reipub. quæ in civilibus, ea tamen non eâdem trutinâ æſtimari poſſunt nec debent, quippe quòd judex in criminalibus facilius culpam ſuam purgare, & plebi ſuſpicionem eximere poſſit quàm in civilibus. Nam & ratio lucri, & amicitiæ, quæ in cauſis civilibus judicem ad culpam committendam movere poſſit, hic ceſſat, qvum veroſimile non ſit, mentem humanam adeò perversè agere velle, ut vitam homini ſpe lucri adimat, inprimis, qvum hanc culpam minimè latere poſſe, ſed mox in apricum produci ſciat. Quòd ſi tamen ejusmodi quid accidat, non niſi omnium rariſſime contingit, nec querelam aut occaſionem turbandi tàm frequentem ac in civilibus ſuppeditat. Quamvis porrò (2.) ex eventu non facilè judican- 14
dum ſit uti ſuprà oſtendi, ac adeò exempla frequentia provocationis illius certam quandam licentiam ſuppeditare non poſſint, ſi tamen cum rationibus aliis validioribus concurrant, negligenda non ſunt, ſed certi quippiam ex tantâ præſertim copiâ, colligi ac determinari poteſt. Relinquitur ergò, provocationem hanc ad tribunal Chriſti ſupremum in criminalibus utiq; eſſe licitam atq; permiſ-

15 ſam. Quid ergò judici faciendum? An executionem ſuſpendere, & reum uſq; ad terminum divino judicio conſtitutum in cuſtodiâ adſervare debet? Ita cenſet vir quidam magnus. Adſervandum eum eſſe, omniaq; momenta, & quæcunq; ad veri indagationem pertinent, examinanda eſſe ac perpendenda, ut, ſi vel innocentia ejus appareat, lata retractetur ſententia, vel, ſi contrarium evenerit, decoctiore confirmetur conſilio. Conſilium quidem ſatis pium, ſed foris noſtris minimè aptandum. Aut enim Acta à judice ſatis ſunt excuſſa, & probata diligenter explorata, & tum non eſt, quod metuat judex, aut reum diutiùs detineat. Aut ſupereſt contrarii probabilis metus, & tum non erat condemnandus, nec ultimo ſupplicio adficiendus, ſed præceptum C. Plinii Cæcil. *l. 1. Ep. 18.* quàm maximè attendendum. *Quod dubitas ne feceris*, & omninò ad vulgatum illud reſpiciendum: *Tutius eſſe decem nocentes* (in caſibus ſcil. dubiis) *dimittere, quam innocentem unum condemnare*, prout hujus rationis exemplum ſatis luculentum, nuperrimè admodum edidit Sereniſſimus noſter Princeps BERNHARDUS, Dux Saxoniæ, Juliaci, Cliviæ ac Bergæ &c. Princeps ac Dominus noſter Clementiſſimus, in caſu ſatis memorabili, ubi leviſſimus quidam civis homicidium ante biennium à ſe perpetratum eſſe ſponte & conſcientiâ quaſi mota indicavit. Qvumque ad confeſſionem ejusmodi propriam carcere concluderetur, eamque confeſſionem in primo torturæ gradu reiteraret, poſt torturam inficiaretur, nec tamen de corpore delicti certò conſtaret, nec ulla alia indicia homicidii perpetrati apparerent, maluit eum dimittere, quàm ſcrupuloſè condemnare, ob levitatem tamen & frivolam denuntiationem relegatione mulctare.

Vel

Vel hoc itaq; exemplo ſit judex in criminalibus monitus, 16
ne temerè ad mortis ſupplicium procedat, ne idem experiatur, ut tandem ex multis copioſè ſupra citatis unicum adducam, quod apud Weſtrogothos Johannes Turſon, pater Turonis Jenſon, equitis aurati judicis, qui qvum quendam, ſine dubio innocentem capite plecti juberet, genibus innitebatur reus, *En morior*, inquit, *injuſtè, teq; voco hâc horâ ante Tribunal DEI, ut reſpondeas, cur me innocentem condemnes.* Vix autem miſer ille manu carnificis obtruncatus erat, & corruebat judex exanimis. Vid. Olaum Magn. *lib. 14. c. 20.* Memorabile admodùm eſt, quod 17
refert Georg. Lauterbeck Conſiliarius quondam Brandeburgicus in libro ſuo quod inſcribit Regenten-Buch *part. 5. c. 4.* de Scabinis quibusdam cum judice ſuo ſeu Præſide militem quendam damnantibus, & provocationem ejus floccipendentibus. Trieben doch jene Richter und Schöppen auch (vom Jüngſten und gerechten Gericht Gottes das Geſpött daraus / daß ſie der Landes Knecht / welchen ſie fälſchlich zum Tode verdammten / für das Jüngſte Gericht ins Thal Joſaphat lude / aber ehe ein Jahr ümkam, giengen ihrer viere ſchrecklich dahin / einer ward vom Donner erſchlagen / der ander in einer Zeche erſtochen / der dritte wegen des Diebſtals gehenckt / der vierdte ſchwerlich kranck und da er ſterben ſolte / ſagte er: Was ſäumeſtu und verzeuchſtu / Sathan / meine Seele hinweg zu führen / dir habe ich treulich gedienet / derohalben bin ich auch dahin. Ach daß ich ſol mit dem Lands Knecht im Thal Joſaphat vor Gericht ſtehen / wie gern wolte ich des überhaben ſeyn / dann da wird ein ſchrecklich Urtheil über und wider mich geſtellet und gefället werden ꝛc. SIC CORRUIT AC TRANSIT INJUSTITIA MUNDI! JUSTUS enim DOMINUS EST ET RECTA SUNT JUDICIA EJUS.

QVanto iterum ſacræ Magni Patris æmule KRULLI,
griphos Eunomies pro cathedra reſecas;
Gratulor hoc auſum, ſummosque Parentis honores
jam tibi fatidico pectore & ore precor.

DN. JOH. GEORGIO KRULLIO,
à natura & cultura, virtutis, doctrina, & politiorum morum donis commendatiſſimo ex animo gratulor
Joh. Gothofredus Freyer, Conſiliar. Saxo-Vin.

INſigni Juris ſtudiorum pignore curſum
Exactâ rurſus ſedulitate probas.
Judicium ingeniumque colis, quô catus utroque
Attribuis ſtudiis proſpera fata tuis.
Succeſſum voveo felicem, det tibi juſto
Tempore pro meritis præmia digna Themis.

Eximio Dn. Krullio, dilectæ Sororis meo filio amantiſſimo grat.
Georgius Adam Struve, D.

Nobiliſſimo
CRULLIO
Juris Cultori ſtrenuo
de
felici ſtudiorum progreſſu
gratulatur
CUERNERUS ROLFINCIUS D. P. P.

EUnomies ſacræ cultor perſtrenue, CRULLI,
in ſtadio ſtudiorum fauſto tramite curris;
dum diæ reſeras Themidos penetralia, viresque
ingenii claræ tentas exponere luci.
Aſtreæ viſis jam non ſine laude cathedram.
Scande bonis avibus, Themidi ſic perge litare.
Audenti bona ſerta parat condigna laborum
Clejo præmia decernens TE æquare Parenti,
ſors ſuperare; volet vinci Pater, omnia tenta.

FINIS.